

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo CXVIII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

rex iudaeorum. sed quia ipse dixit rex sum iudeorum. quid loquimur
ni insani. quid fieri contradicatis quod mutare nullo pacto potestis. numquid
enim propterea non erit uerum quia ih̄s ait. rex sum iudaeorum. si cor
rumpi non potest quod pilatus scripsit. corrumpi potest quod ueritas di
xit. sed iudaeorum tantum rex xp̄s est an̄ gentium. Immo & gentium.
Cum enim dixisset in propheta. Ego autem constitutus sum rex ab eo super
sion montem sc̄m eius praedicans praeceptum dñi. Ne propter montē
sion solis iudaeis eum regem quisquam diceret & constitutum. Continuo sub
iecit. Dñs dixit ad me. filius meus es tu. ego hodie genuite. postula me & da
bo tibi gentes hereditatem tuam & possessionem tuam terminos terre. Un
de & ipse iam per os proprium loquens apud iudaeos. Habeo inquit alias
oues quae non sunt de hoc ouili. oportet me & ipsas adducere & uocem meā
audient & erit unus grex & unus pastor. Cur ergo magnum uolumus in
tellegi in hoc titulo sacramentum. in quo scripta uerat rex iudaeorum.

Si rex est xp̄s & gentium. quia scilicet oleaster factus est particeps pingue
dinis oleae. Non olea particeps facta est amaritudinis oleastri. nam in
eo quod de xp̄o ueraciter scriptus est titulus rex iudaeorum. Qui sunt
intellegendi iudaei nisi semen abrah̄e filii promissionis. qui sunt & iam
filii dñi quoniam non qui filii carnis. ait apostolus. hi filii dñi. sed qui filii promissi
onis. deputantur in semine & gentes erant quibus dicebat. si autem uos xp̄i.
ergo abrah̄e semen estis secundum promissionem heredes. Rex ergo iu
daeorum xp̄s. sed iudaeorum circumcisione cordis. sp̄u. non littera. quo
rum laus non ex hominibus sed ex dō est. pertinentium ad hierusalem
liberam matrem nostram aeternam in caelis sacram spiritalem. ancillum
& filios eius de domo libertatis eicientem. ideo enim pilatus quod scripsit
scripsit. quia dñs quod dixit dixit.

**INCIPIT SERMO CXVIII DE EO QUOD DICIT. MILITES
ERGO CUM CRUCIFIXISSENT EUM ACCEPERUNT UES
TIMENTA EIUS. USQ. AD UESTEM MEAM MISERUNT
SORTEM.**

Ea quae gesta sunt iuxta crucem dñi cum iam crucifixus esset. isto
quantum adiuuat sermone tractemus. milites ergo cum
crucifixisSENT eum. acceperunt uestimenta eius & fecerunt
quattuor partes. unicuique militi partem & tunicam. erat autem tunica
inconsutilis. de super contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem.
non scindamus eam. sed sortiamur de illa cuius sit. ut scriptura imple
atur dicens. parta sunt uestimenta mea sibi & in uestem meam miserunt.

sortem; factum est quod uoluerunt iudaei non ipsi sed milites qui pare-
 bant pilato iudicante ipso crucifixerunt ihm. & tamen si uoluntates. si insi-
 dias. si operam. si traditionem. postremo si extorquentes clamores eorum
 cogitemus. magis utiq. iudaei crucifixerunt ihm. sed de partitione &
 sortitione uestimentorum eius non est praeter eunter loquendum; qua
 uis enim omnes euangelistae quattuor huius rei meminerunt. ceteram
 breuius quam iohannes. & clausa illi. iste uero aperitissime; nam mattheus
 ait. postquam autem crucifixerunt eum. diuiserunt uestimenta eius
 sortem mittentes; marcus. & crucifigentes eum diuiserunt uestimenta
 eius mittentes sortem super eis quis quid tolleret; Lucas. diuidentes uero
 uestimenta eius miserunt sortes; iohannes autem & quot partes de uesti-
 mentis eius fecerunt dixit. id est quattuor. ut singulas tollesent; unde
 appar. & quattuor fuisse milites. qui in eo crucifigendo praesidi paruerunt;
 manifeste quippe ait; milites ergo cum crucifixissent eum. acceperunt
 uestimenta eius & fecerunt quattuor partes. unicuiq. militi partem & tu-
 nicam. Sub audiendum est acceperunt. ut iste sit sensus; acceperunt
 uestimenta eius & fecerunt quattuor partes unicuiq. militi partem. acce-
 perunt & tunicam; & sic loquitur est ut de ceteris uestimentis nullam sorte
 missam esse uideamus. sed de tunica quam simul cum ceteris acceperunt
 sed non similiter diuiserunt. De hac enim sequitur exponens. erat autem
 tunica inconsutilis. de super contexta per totum. Cur autem de illa
 sortem miserunt narrans. Dixerunt ergo inquit ad inuicem; non scin-
 damus eam. sed sortiamur de illa cuius sit. appar. itaq. in aliis uestibus
 aequales eos habuisse partes. ut sortiri necesse non fuerit. In illa uero una
 non eos habere potuisse singulas partes nisi scinderetur. ut pannos eius in-
 utiliter tollerent; quod nefacerent. ad unum eam peruenire sortitione
 maluerunt; huius euangelistae narrationi consonat & iam propheticum
 testimonium. quod & ipse continuo subiungens. ut scriptura inquit imple-
 retur dicens; partita sunt uestimenta mea sibi & super uestem meam
 miserunt sortem. Non enim ait. sortiti sed partiti. nec ait. sortientes
 partiti sunt. sed in ceteris uestimentis sortem omnino non nominans.
 postea dixit. & in uestem meam miserunt sortem. propter illam reli-
 quam tunicam. de qua se dicam quod ipse donauerit. cum prius eam
 quae ob oriri potest. tamquam euangelistae inter se discerpent. calumni-
 am propulsauerit. demonstrans nullius ceterorum uerba narrationi io-
 hannis esse contraria; mattheus enim dicendo. Diuiserunt uestimenta
 eius sortem mittentes. ad totam diuisionem uestimentorum uoluit

intellegi & iam illam tunicam pertinere de qua sortem miserunt. quia
utiq. omnes uestes diuidendo in quibus & illa fuit de ipsa sortis sunt; tale
est quod ait & iam lucas. diuidentes uestimenta eius miserunt sortes. Di
uidentes enim uenerunt ad tunicam de qua est facta sortitio. ut inter eos
uniuersa uestimentorum eius diuisio compleretur; quid autem inter e
utrum dicatur. diuidentes miserunt sortes. quod ait lucas. an diuiserunt
sortem mittentes quod ait mattheus. nisi quod lucas dicendo sortes plura
lem pro singulari numero posuit. quae loquutio scripturis scis insolita
non est. quamuis nonnulli codices sortem repperiantur habere non
sortes; marcus itaq. solus uidetur aliquam intulisse quaestionem. dicen
do enim mittentes sortem super eis quis quid tolleret. tamquam super
omnibus uestimentis. non super sola tunica sortis missa sit. locutus uide
tur; sed & iam hic breuitas obscuritatem facit. sic enim dictum est. mit
tentes sortem super eis. ac si diceretur. mittentes sortem cum diuide ren
tur. quod & factum est; omnium quippe uestimentorum eius diuisio
completa non esset. nisi sorte claruisset. quis & iam illam tunicam tolle
ret ut sic contentio diuidentium finiretur uel nulla potius oriretur;
quod ergo ait. quis quid tolleret. quando quidem hoc sorti deputatur.
non ad omnia quae diuisa sunt uestimenta referendum est; sorte enim
missa est quis illam tunicam tolleret. de qua quoniam narrate praeter mi
sit qualis fuerit & quem admodum aequalibus factis partibus sola
remanserit. quae ne conscinderetur. ueniret in sortem pro ea positum
est quod ait. quis quid tolleret. id est quis eam tolleret. tamquam sit
tum ita diceretur. Diuiserunt uestimenta eius. mittentes sortem sup
eis. quis tunicam quae partibus aequalibus super fuerat tolleret; quae
rat forte aliquis quid significet in tot partes uestimentorum facta di
uisio & de tunica illa sortitio; quadripertita uestis domini ihesu christi qua
drupertitam figurauit eius ecclesiam. toto scilicet qui quattuor par
tibus constat terrarum orbe diffusam. & omnibus eisdem partibus
aequaliter id est concorditer distributam; propter quod alibi dicit
missurum se angelos suos ut colligant electos eius a quattuor uentis;
quod quid est. nisi a quattuor partibus mundi. oriente. occidente.
aquilone. meridie. Tunica uero illa sortita omnium partium signi
ficat unitatem. quae caritatis uinculo continetur. De caritate autem
loquitur apostolus. Super eminentem inquit uiam uobis demonst
ro. & alio loco ait. Cognoscete & iam super eminentem scientiae cari
tatem christi. itemque alibi. super omnia autem haec caritatem quae est

uinculum perfectionis. Si ergo caritas & super eminentiorem habet
 uiam & super eminenti scientiae & super omnia praecepta est. merito ues
 tis quae significatur. de super contexta perhibetur. in consuetis autem
 ne aliquando dissuatur. & ad unum peruenit. quia in unum omnes col
 ligit. sicut in apostolis cum esset & iam ipse numerus duo denarius. id est
 quadripartitus in ternos. & omnes essent interrogati. solus pater res
 pondit. Tu es christus filius dei uiui. & ei dicitur. tibi dabo claves regni caelorum.
 tamquam ligandi & soluendi solus acceperit potestatem. cum & illud unum
 pro omnibus dixerit & hoc cum omnibus tamquam personam ge-
 neris ipsius unitatis acceperit. ideo unus pro omnibus. quia unitas est in omnibus.
 unde & hic cum dixisset de super contexta. addidit per totum. quod si re
 feramus ad id quod significat. nemo eius est expertus qui pertinere inue
 nitur ad totum. a quo toto sicut greca indicat lingua. catholica uocatur
 ecclesia. in sorte autem quid nisi dei gratia commendata est. sic quippe
 in uno ad omnes peruenit. cum fors omnibus placuit. quia & dei gratia in
 unitate ad omnes peruenit. & cum fors mittitur. non personae cuiusque
 uel meritis sed occulto iudicio dei ceditur. nec ideo ista non aliquid boni
 significasse quis dixerit. quia per malos facta sunt. non scilicet per eos qui
 christum sequuti sed qui sunt persequuti. quidem enim de ipsa cruce dicturi
 sumus. quae certe similiter ab inimicis atque impiis christo facta & in pacta est.
 & tamen ea significari recte intellegitur quod ait apostolus. quae sit la
 titudo & longitudo & altitudo & profundum. lata est quippe in transuer
 so ligno quo extenduntur pendentis manus. & significat operum bona in la
 titudine caritatis. longa est a transuerso ligno usque ad terram ubi dorsum
 pedesque figuntur. & significat perseverantiam in longitudine temporis
 usque in finem. alta est in cacumine quo transuersum lignum sursum uer
 sus exceditur. & significat supernum finem quo cuncta opera referun
 tur. quoniam cuncta quae latitudine a longitudine bene ac perseveranter
 fiunt. propter altitudinem diuinorum faciendae sunt praemiorum. &
 profunda est in ea parte qua in terra figitur. ibi quippe & occulta est
 nec uideri potest. sed cuncta eius apparentia & eminentia inde consur
 gunt. sicut bona nostra de profunditate gratiae dei quae comprehendere
 ac dii iudicari non potest. uniuersa procedunt. sed & si crux christi hoc solum
 significat quod ait apostolus. qui autem ihesu christi sunt. carnem suam cru
 cifixerunt cum passionibus & concupiscentiis. quam magnum bonum est.
 ne tamen facit hoc nisi concupiscens aduersus carnem spiritus bonus. cum
 illam crucem christi fecerit inimicus. id est spiritus malus. postremo

quid est, ^{qd} omnes nouerunt signum xpi. nisi crux xpi; quod signum nisi
adhibeatur siue frontibus credentium. siue ipsi aquae ex qua regeneran-
tur. siue oleo quo chrismate unguuntur. siue sacrificio quo aluntur. nihil
eorum rite perficitur; quomodo ergo per id quod mali faciunt. nihil bo-
ni significatur. quando per crucem xpi quam fecerunt malum in celebratio-
ne sacramentorum eius bonum nobis omne signatur; sed haec haecenus;
quae autem sequuntur. alius ut dicitur optulabitur. differenda uidebimus.
**INCIPIT SERMO CXXVIII DE EO QUOD DICIT ET MILITES
QUIDEM HAEC FECERUNT. USQUE AD INCLINATO CAPITE
TRADIDIT SPIRITUM.**

Crucifixus dno postea quam diuisio uestimentorum eius & iam missa
sorte completa est. quae deinde narra & iohannes euangelista uide-
amus; & milites quidem inquit haec fecerunt. stabant autem iuxta crucē
ihū mater eius & soror matris eius maria cleophae & maria magdalene.
Cum uidisset ergo ihū matrem & discipulum stantem quem diligebat. dicit
matri suae; mulier ecce filius tuus; Deinde dicit discipulo; ecce mater tua;
& ex illa hora accepit eam discipulus in sua. haec nimirum est illa hora.
de qua ihū aquam conuersurus in uinum dixerat matri. quid mihi & tibi
est mulier. nondum uenit hora mea. hanc itaq; horam praedixerat. quae
tunc nondum uenerat. in qua deberet agnosce se moriturus de qua fuerat
mortaliter natus; tunc ergo diuina facturus. non diuinitatis sed infirmi-
tatis matrem uelut incognitā repellebat. Nunc autem humana iam pati-
ens. ex qua fuerat factus homo. affectu commendabat humano. Tunc enī
qui mariam creauerat. in notescere uirtute. nunc uero quod maria pepe-
rerat. pendeat in cruce; moralis igitur insinuatur locus; facit quod faci-
endum ammonet & exemplo suo suos intruxit praeceptor bonus. ut a filiis
piis impendatur cura parentibus. Tamquam lignum illud ubi erant fixa
membra morientis. & iam cathedra fuerit magistri docentis; ex hac doc-
trina sana didicerat paulus apostolus quod docebat. quando dicebat.
Si quis autem suis & maxime domesticis non prouidit & fidem negat & est
infideli d&erior. quid autem tam cuiq; domesticum. quam parentes fi-
lius aut parentibus filius huius itaq; saluberrimi praecepti ipse magister
scōrum de se ipso constituebat exemplum. quando non ut famulae di-
quam creauerat & regebat. sed ut matri homo de qua creatus fuerat &
quam relinquebat. alterum pro se quodammodo filium prouidebat.
Nam cur hoc fecerit. quod sequitur indicat. At enim euangelista
- & ex illa hora accepit eam discipulus in sua. de se ipso dicens; sic quippe